

3767 [= 3554] in ruinis Suessulae in silva dell' *Acerra* in porta theatri antiqui quod nunc dicunt *Castellone* (Pagliara DVHN) LETT. DVHN. Ibidem (id quo pertineat, iam non apparet) in angulo aedium ubi est molinum SAX.

D · M · S
 CLAVDIAE · TI · F
 NYMPHIAE
 VIXIT · ANN · XXXII · M
 urecus 5 FECIT
 GAVIA · FELICISSIM
 FILIAE
 DVLCISSIMAE

Recognovit Duhn imminutam. Plenam dant Saxius in schedis Hagensibus et Lettieri p. 179 ed. 1, p. 238 ed. 2; imminutam Minervini *Comm. di Caserta* 1878 p. 29.

Quae non vidit Duhnus inclinavi. — Hiatus signat Sax. — 2 . . I · T Sax., T · F Lett. — 3 NIMPHIAE Lett. — 4 XXXII · M Sax., XXXIIX Lett. — 6 GAVLA Lett.

3768 Suessulae in parietinis rep., *bosco d' Acerra, masseria del Melaro* MONT. Hodie Pagliarae in villa Spinelli in scalis DVHN.

D M S
 CVLGIAE CAN
 DIDIANAE CO
 IVGI BENE ME
 5 RENTI QVAE VIC
 XIT MECVM AN
 N XIII TVLIT AN
 N XXVII MEN
 SES VIII
 10 TI · CLAVDIVS FE
 LICISSIMVS
 MARIT

Descripsi ego ad ectypum quod dedit Minervinius, ad lapidem Duhnus. Ed. Ios. de Montemayor *Giornale degli scavi di Pompei* N. S. 3 (1874) p. 23; Minervini *Comm. di Caserta* 1878 p. 30.

3769 [= 3556] in ruinis Suessulae, e regione tituli n. 3767 LETT. Frustra quaesivit DVHN.

P · RVTEDIO · O · L
 PHILARGYRO

Lettieri p. 179 ed. 1, p. 238 ed. 2; Saxius in schedis Hag. delineavit.

3770 [= 3557] in agro Arienzi in marmore cylindrico.

D · M
 M · SEVERI FVSCI ·
 SEVERIA · ZOSI
 ME · CONIVGI
 5 B · M · F

Guarinius misit Instituto arch. Romano acceptam a consiliario Carfora ediditque *Bullettino dell' Inst.* 1830 p. 119.

3771 [= 3558] Rosciani qui est pagus Arienzi ad montem Tifata.

L · VALERIVS
 ILARC · · · · ·
 · · · · · CENSVS
 · · · · · MERCV
 · · · LIBERTAE
 VALERIAE · ILARC
 · · · · ·

Lettieri *storia di Suessola* p. 177 ed. 1, p. 159 ed. 2.

LI. CAPVA (S. Maria di Capua). Tribu Falerna.

Capua in universa Italia uni Romae secunda (Plutarch. Fab. 17), quam veteres cum Carthagine et Corintho inter tres urbes numerabant, quae intra fines dominationis Romanae constitutae imperii gravitatem et nomen sustinere possent (Cicero de l. agr. 2, 32, 87; cf. Florus 1, 41 [16]. 34 [2, 18]) et quarum restitutionem propterea contra rem publicam esse iudicabant, altera quodammodo Roma (Cicero de l. agr. 2, 32, 86; Philipp. 12, 3, 7); quas origines habuerit quasque vices subierit, non huius loci est exequi; pauca tamen ex tanta rerum copia deligemus eaque quae ad Latinos titulos ibi repertos explicandos potissimum faciant.

1. Capuam plerique crediderunt quinquaginta fere annis ante Romam conditam esse contra dicente Catone, qui eam conditam ait quadraginta fere annis post reges exactos (Vell. 1, 7). Condidit eam secundum plerosque Etrusci (Cato apud Vell. 1. c.; Polyb. 2, 17; Liv. 4, 37) vel sub nomine Volturni (Liv. 1. c.; Servius ad Aen. 10, 145; Festus ep. p. 43) vel sub ipso nomine Capuae, scilicet propterea quod XII urbium Campaniae Etruscarum haec caput esset (Strabo 5, 4, 3 p. 242). Sed, ut par est, non magis defuerunt, qui clarae urbi Troianum quendam Capyn conditorem adsererent eumque cum domo ea quae Romam condidisse fertur aliqua ratione coniunctum, in qua opinione et antiquissimus Hecataeus fuisse dicitur (fr. 27 Muell.) et posteriores complures (Coelius apud Servium 1. c.; Ovidius fast. 4, 45; Dionys. 1, 73; Suetonius Caes. 84; al.). Magis mirere fuisse etiam qui simplici ratiocinatione oppidi nomen a campo derivarent (Liv. 1. c.; Festus 1. c.; Plinius 3, 5, 63; Servius 1. c.); id verum esse inde apparet, quod ethnicum meliore aetate *Campanus* est (Varro de l. L. 10, 16 cet.), ut liberti quoque rei publicae *Campanii* audiunt

(n. 3940 cet.), nec nisi labentibus temporibus invenitur *Capuensis* (n. 3857. 3860). Itaque urbs condita sit necesse est a gente stirpis Italicae.

2. Deinde a. u. c. 309 secundum Diodorum 12, 34, a. 330 secundum Livium 4, 37 (cf. Eusebins ad a. Abr. 1581) Samnites urbe potiti sunt, quam qui ad id tempus Volturnum dictum esse volunt, adiciunt eo tempore Capuae Campanorumque nomen ortum esse a duce scilicet victorum Capye.

3. Anno u. c. 414 (Liv. 8, 11. 12) potius quam a. 411 (Liv. 7, 34) Campani Romanis se dediderunt sive armis coacti sive ut a Samnitibus agrestibus denuo in Campaniam descendentibus se tutarentur. Circa idem tempus Campanis pars agri a dextra Volturni, id est ager Falernus et Stellas, adeptus est et civibus Romanis viritum divisus (Liv. 8, 11 cf. c. 22, 6. 9, 41, 5), qua ex agri divisione nata est tribus Falerna instituta a. u. c. 436¹). Spectare videtur aliqua ratione ad eam adsignationem titulus nuper inventus Francolisi, cui locum dedimus inter Foropopilienses, ubi vide quae adnotantur. Ipsi cives Campani praeter equites quosdam (cf. Liv. 23, 46, 12. 24, 47, 42) Romanas partes secutos et meliore loco deinceps constitutos quo iure tum esse coeperint cum alio loco exposuerim (*Staatsrecht* 2² p. 593 seq.), hoc breviter repetam. Cives Campani facti sunt Romani sine suffragio a. 416 (Liv. 8, 14), ut ad bellum copiarum suarum usum Romanis praeberent et ius Capuae dicerent praefecti quotannis eo ex urbe missi (Liv. 9, 20), qui postea dicuntur praefecti Capuam Cumas, denique

1) De condicione regionis ad dextram Volturni infra dicetur, ubi agimus de Foro Popilii et Urbana.